



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:


- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


About Google Book Search


Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



43. 1070.







PROLEGOMENA ET ANNOTATIO

IN

**THEAETETUM,
PLATONIS DIALOGUM.**



PROLEGOMENA ET ANNOTATIO

IN

THEAETETUM,
PLATONIS DIALOGUM.

CONFIDENTIAL

SECRET

CONFIDENTIAL

PROLEGOMENA ET ANNOTATIONEM

IN

**THEAETETUM,
PLATONIS DIALOGUM,**

SCRIPSIT

D. BURGER JUNIOR,

PH. TH. MAG. L. H. DOCT.



LUGDUNI-BATAVORUM,

H. W. HAZENBERG ET SOCIOS.

—
MDGCCXLIII.



EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

Introductio.



Magno studio hodie incumbitur in Platonis scripta, quin etiam nonnulli hanc demum esse seculo nostro aptam philosophiam contendunt. Etiamsi cum propugnatoribus progressionis philosophiae persuasus sum Platonem, quamvis praeclarum, nostrae tamen aetatis eruditioni minime sufficere, magnae tamen philosophantibus etiam nunc utilitati mihi videtur esse Platoniorum dialogorum lectio. In primis vero Theaetum, monente Cl. Bakio, attente consideravi maxime que ad methodum attendi. Sic enim de Platonis dialectica plurimi iique magni viri sentire videntur, ut Platonem fere semper aut ironice loqui aut adversarios ipsorum tricis dialecticis captare statuant, ne scilicet cogantur sophismata in Platone accipere. Videor mihi iam voces audire me condemnantium, qui talia

de divino Philosopho pronuntiare ausus sim. Quid pronuntiavi igitur? Platonemne Sophistam dixi? Minime gentium. Dixi multos ubique aut ironiam aut captationem eorum quae adversarii protulissent quaerere, ne ipsius cogantur sophismata invenire. Qui vero sic ratiocinantur ideo ad talia coguntur, quia, ut mihi saltem videtur, non tenuerunt veram Platonis methodum. Hoc si alicubi, in Theaeteto certe apparet quam maxime. Methodum, qua in hocce dialogo usus sit philosophus, mihi visus sum perspicere. Videtur esse verus processus, evolutio notionum, quae pedetentim procedit, ita ut quaeque ratiocinatio, quodque argumentum, suo loco appositum, praecedentibus nitens gradus sit, quo ad sequentia adscendere possimus. Non vero opus est, ut ulterius rem explicem, ipsa argumentationis analysis se defendat, meamque sententiam exponat. Huic praemittam brevem disputationem de tempore, quo liber conscriptus videatur, deque personis colloquentibus. Haec excipiet argumenti enarratio, quae ipsa ab analysi excipietur, annotationibus quibusdam in fine adiectis.

DE TEMPORE.



Est nota res, nihil fere difficilius esse, quam accurate tempora constituere, quibus singula Platonis opera sunt confecta. Attamen hoc si grave est in multis, in Theaeteto satis bene procedit. Rem paulo altius repetamus et consideremus Platonis vitam, quo melius de quaestione nostra judicare possimus. Vita vero philosophi nostri in tres periodos facillime dividi potest, quae ex ipsa historia se sponte nobis offerunt. Constat Socratem nova eaque vere anthropologica philosophia condita optimos quosque aequalium allexisse. Plurimi vero Socratis familiares tantopere virum admirati sunt, ut fere jurarent in verba magistri. Amicorum Socratis Plato facile princeps fuit. Hic quamvis ingenii vi postea longe lateque Sócratem superavit, tamen initio captus praeclara disserendi ratione, qua ra

maxime excellebat pater ille germanae philosophiae, totus quantus evasit Socraticus. Post Socratis mortem indignabundus et magistri fortasse sortem ipse timens patriam reliquit et Megara se contulit, ubi major natu Socratis discipulus, Euclides, philosophiam docebat et Socraticam cum Eleatica doctrina conjungebat. Hinc majorem aliorum systematum cognitionem acquisivit Plato maximeque Eleaticorum placita cognovit. Inde in Italiam, Aegyptum et Cyrenaicam magna suscepit itinera, Pythagoraeque et Sacerdotum sapientiam ex ipsis hausit fontibus. Athenas reversus ibi philosophiam docere incepit. Nemo mirabitur, tantum ingenium ex multis aliorum cognitis sententiis diuturnisque peregrinationibus immensam meditandi materiem sibi comparasse et de plurimis rebus multo praeclarius quam antea sensitisse. Maxime notitia doctrinae Pythagoricae elucebat: indeque fortasse etiam hoc profecit Plato, ut cum rebus terrestribus reconciliatus summum philosophi officium censeret aliis hominibus omni modo prodesse. Patet hoc ex itineribus in Siciliam susceptis ad Dionysium juniorem emendandum et Sicularum felicitatem promovendam. His consideratis sponte apparet, quanam sint periodi, in quas Platonis fata commodè distribui possint. Prima finitur morte Socratis, secunda reditu Platonis Athenas, tertia morte Platonis. In prima propaedeuticas quasi scholas frequentavit imbutusque est dialectica Socratis formalemque didicit philosophiae partem. In secunda, Megaris, in Italia, in Africa historiam philosophiae ex fontibus didicit materiamque amplissimam philosophandi sibi

comparavit. In tertia divitias suas cum civibus communicavit.

Haec est norma, secundum quam de aetate singulorum dialogorum quaerendum est; quod in praesens omittimus, de Theaeteto vero hic videndum.

In Theaeteto igitur p. 164 E. et alibi memoratur mors Protagorae. In primo et ultimo capite memoratur mors et accusatio Socratis. Recens vero magistri memoria apparet ex longa expositione Socraticae docendi methodi cap. VI et VII. quae expositio, in primis si consideramus verba pag. 149. A. *τοῦτο μὲν οὐ λέγουσι περὶ ἐμοῦ, ὅτι δὲ ἀτοπώτατός εἰμι καὶ ποιῶ τοὺς ἀνθρώπους ἀπορεῖν* et pag. 151. C. *πολλοὶ γὰρ ἤδη, ὦ Θαυμάσιε, πρὸς με οὕτω διετέθησαν, ὥστε ἀτεχνῶς δάκνουν ἔτοιμοι εἶναι, ἐπειδὴν τινα λήρον αὐτῶν ἀφαιρώμαι, καὶ οὐκ οἶονταί με εὐνοίᾳ τοῦτο ποιεῖν*. Haec igitur si consideramus, non possumus quin eo consilio conscripta statuamus, ut Socrates defenderetur et celebraretur. Idem consilium mihi cernere videor in capp. XXIII—XXV. ubi copiosissime exponitur ratio, cur philosophi in judiciis vincantur, qui scilicet res quotidianas non curent, quippe sublimioribus occupati. Non enim cum Stallbaumio credo Platonem hic se ipsum defendere voluisse, quem non audivi umquam in iudicium vocatum esse, nec etiam quia res humanas omnino despiciebat, sed quia rempublicam Atheniensem sanari non posse putabat, post reditum a rebus gerendis abstinuisse mihi persuasum est. Cf. Herm. gesch. u. Syst. der Plat. phil. I. p. 105 76.)

Haec igitur suadent, ut Theaetetum brevi post So-

cratis mortem, et quidem in otio Megarensi conscriptum esse statuamus.

Attamen p. 142 A. bellum Corinthiacum memoratur. Ipse vero Plato teste Diogene Laertio III. 8 et 24 et Aeliano, Var. Hist. VII. 14 in exercitu Atheniensium militavit post reditum ex itineribus (cf. Clinton Fast. Hell. p. 101) quod bellum in loco citato Theaeteti respici non absque verisimilitudine statui mihi videtur. Praeterea Theaetetus, qui erat puer tempore, quo mortem subiret Socrates, memoratur in eadem pag. ut miles qui fortiter pugnaverit.

Haec suadent, ut post reditum conscriptum esse statuamus. At bellum Corinthiacum et militia Theaeteti memorantur in initio, quod initium salvo dialogo tolli potest.

Philosophi praeterea descriptio quamvis Socratem spectat iudicio circumventum, patet tamen ex p. 176. E. Platonem jam idearum doctrinam plane sibi formasse. Totus vero dialogus quam maxime est elaboratus excellentique methodo disserendi, ita ut ingenium maturum et maximam in conscribendo curam arguat. Ideo contradictionem in superioribus notatam sic optime solvi posse mihi videtur, ut eorum veram esse statuamus sententiam, qui doceant, Platonem Theaetetum Megaris scripsisse sed condidisse, emendatum et auctum post reditum in lucem emisisse.

DE PERSONIS.



Occurrant primum amici duo Megarenses, Euclides et Terpsion. In Phaedone memorantur ut qui Socrati jamjam morituro affuerunt. Uterque magno philosophiae amore ardebat magistrumque valde diligebat. Major tamen indoles Euclidis fuisse videtur, qui fertur, plebiscito licet acerbissimo vetante, Athenas se contulisse ut Socratem disputantem audiret. Ostendit se revera indole philosophiae esse praeditum, qui non juraverit in verba magistri, sed etiam Eleaticam philosophiam cognoverit conatusque sit excogitare systema, quod has diversas philosophandi rationes conjungeret. A Platone longe lateque superatus meruit tamen, ut ab hoc coryphaeo celebraretur. Quid de ejus ingenio senserit Plato satis declarat ratio, qua sibi comparasse fingitur dialogum nostrum. Cf. Theaet. p. 143 A.

Tum cum Socrate disputant Theodorus et Theaetetus. De Socrate non opus est ut dicam, de duobus reliquis paucis.

Theodorus narratur a Platone Cyrenis auditus fuisse : qua de re cur dubitemus non video. Notum est, Platonem etiam Cyrenen adiisse, in nostro vero dialogo Theodorus proponitur Cyrene oriundus. Athenas venit, ut videtur, urbis gloria, magnaue elegantiae et humanitatis fama allectus, ibique docuit *γεωμετρίαν, ἀστρονομίαν, λογιστικήν, μουσικήν, καὶ ὅσα παιδείας ἔχεται*. Etiam si philosophiae non imperitus et Protagorae partes sequens, posteriore tamen vitae parte totus se ad mathesin contulit, indeque severiorem animi habitum contraxisse videtur. Fuit, ut patet ex dialogo nostro, vir veritatis amans, qui moderate ferret se refelli, quantique eum fecerit Plato vel inde patet, quod Socrates ab eo describitur in disputatione graviore omnino cum ipso Theodoro disputare cupiens. Theaetetus Euphronii filius, a quo dialogus noster nomen accepit, juvenis fuit nobilis, ingenii omnino ad philosophiam apti, matheseos inprimis studiosus, quam quantopere futuris philosophis commendaverit Plato e lib. VII de Republica notum est. Fuit ille docilis, modestus, placidus, ingenium ejus cum oleo fluente comparatur. Vultu et indole Socratem referebat. Postea traditur Platonem audivisse, quod ut addubitemus nulla causa est. Fortissime pro patria dimicans apud Corinthum vulneratus est, ut in initio libri nostri legitur. Recuperavit tamen valetudinem et postea Heracleae mathematicas artes docuit.

Hujus loci est etiam de Protagora quaedam in medium proferre. Quamvis enim jam in Theaeteto de ejus morte sermo est, tamen, quum doctrina ejus ibi uberius tractetur, non abs re est paucis quis fuerit et quid docuerit exponere. Abdera fuit oriundus, ubi narratur Democriti scriba fuisse. Democritus autem famuli perspexit ingenium eumque ad philosophandam impulit. Post tamen Democriti partes reliquit Heraclitique sententiam amplexus est. Primum in Sicilia, deinde Athenis docuit, eratque eloquentiae inprimis laude clarus. Magis tamen ostentationis et pecuniae causa quam veritatis amore doctrinas coluit. Scripsit de diversis studiorum generibus, sed inprimis nobile opus *Ἀληθεια* dictum, ad quod respicitur in Theaeteto. Septuaginta annos natus edidit librum, et credo quidem hanc ipsam *Ἀληθειαν*, in quo se de diis nihil omnino dicere posse dixit, nec eos esse, nec non esse. Hic liber ipsi fuit perniciosus. Atheismi condemnatus, parva navi fugit, at in mari periit. Libri ejus coram concione combusti sunt. Dixi Protagoram maxime Heracliti partes esse secutum. Ut igitur bene quid docuerit intelligi possit, prius videndum, quid docuerit Heraclitus, deinde, quomodo inde doctrinam suam derivaverit Protagoras.

Omnia moveri docuit Heraclitus, ex multis phaenomenis de omnibus concludens, ignemque motus principium statuit, qui ut per viam descendantem tandem in terram mutaretur, sic per viam ascendentem in pristinum statum rediret. Motus igitur pater mundi dicitur, sed, quia ex uno motu nihil oriretur nul-

laque se offerrent phaenomena, motus statuit diversos inter se oppositos, qui omnia crearent et quidem diversa pro diversitate impulsionis. Nec providentiam nec fortunam mundo praeposuit, sed absolutam necessitatem ex motuum natura sequentem. Non tamen tantos motus sine intelligentia moveri statuit, sed inesse mundo vim cogitandi, universum quemdam spiritum, in quem verisimile est ipsi placuisse ut animi hominum redirent, quippe ex illo desumpti. Non tamen huncce animum a materie diversum, sed igneum statuisse videtur. Quo magis homines conjuncti sunt cum spiritu universali, eo sapientiores. Qui sibi vult sufficere aequae a communitate separare, is insipiens est et perniciosus. Sic, quod omnibus hominibus videtur, ideo verum statuit, quia huicce animo mundi tribuendum est, quocum vigilantes communionem habeant. — Haec ad nostrum propositum sufficiant. Animum igitur huncce universalem abjecerunt Heraclitei et doctrinam de motu tenentes nihil omnino stabile reliquerunt, quum in animo mundi aliquid tamen subsistens posuerat Heraclitus. Is vero nihil permanens nisi motus sempiternus. Sic doctrina pantheistica Heracliti in merum materialismum abiit. Non possum quin hic animadvertam non sine specie veri dici, historiam mutatis nominibus eadem fabulam repetere semper. Sed ad rem. Protagoras hanc de motu doctrinam sic ad scientiam adhibuit, ut ex motibus diversis, quos in agentem et patientem divisit, perceptionem oriri statueret, quae quum cuique eo modo accidat, quo et ipse et res ipsi accidens

forte fortuna movetur, cuique semper vera. Sic igitur omnium rerum mensura homo, existentium quod existant, non existentium quod non existant, quumque nullum alium posuisset fontem opinionis, omnis ei opinio vera dicenda erat. Hanc doctrinam dijudicare non est hujus loci, jam satis superque fecit Plato, ut e sequentibus apparebit.

ARGUMENTUM.

I. **Terpsioni Megarensi** occurrit **Euclides**. Narrat hic se **Theaetetum vulneratum** vidisse, et audita viri fortitudine recordatum esse praedictionis **Socratis**, quam brevi ante mortem de **Theaeteto** pronunciaerat post sermonem inter eos habitum. Hunc sermonem **Socrates** narraerat **Euclidi**, qui literis mandaverat. Rogante **Terpsione**, **Euclides** sermonem dictum a puero de scripto recitari jubet.

II. **Socrates** **Theodoro** mathematico **Cyrenaico** tunc temporis **Athenis** docenti obviam factus ab ipso sciscitatur, num forte juvenes **Athenis** sint ingenii dotibus excellentes. Laudat **Theodorus** **Theaetetum** propter acumen, memoriam et modestiam. Mox ipse advenit et a **Theodoro** et **Socrate** invitatus iis assidet.

III. Socrates ait, se a Theodoro egregiam Theaeteti indolem comperisse, et valde cupere cum illo sermones miscere. Assentiente Theaeteto colloquium incipit posita quaestione, *quid est scientia?*

IV. Theaetetus labitur ut fere omnes, qui a Platone cum Socrate colloquentes proponuntur. Non enim quid sit scientia, dicit, sed diversas scientiae species enumerat. Admonetur a Socrate, unamquamque scientiae speciem constare scientia addita re, cujus sit scientia; non igitur ipsam enumeratione specierum cognosci.

V. Intelligit Theaetetus, agi de generis notione, quod non expressis verbis significat, sed exemplo: Narrat enim, se cum condiscipulo omnes numeros in duo genera divisisse, quod ingenii specimen Socrates laudat eumque incitat, ut eodem modo cum scientia agat.

VI. Narrat Theaetetus, se de ipsa hac re jam saepius cogitasse, sed nec aliquid invenire nec quaestionem mittere potuisse. Eum gravidum pronunciat Socrates seque artis obstetriciae peritum declarat.

VII. Se enim, dicit, non sapientem esse, sed alios adjuvare posse in quaestionibus philosophicis solvendis eorumque dijudicare solutiones, quamobrem multos, quorum ignorantiam patefecerit, sibi infestos esse. Veritatis vero amorem eum at talia impellere.

VIII. His incitatus Theaetetus rei experimentum facit et *scientiam esse perceptionem* dicit. Hocce responsum examinare Socrates instituit. Ostendit, si non verbis, at re Protagoram idem docuisse, dicentem, hominem omnium rerum esse mensuram, *existentium, quod existant, non existentium, quod non existant.*

Docuit enim, omnia cuique esse ut cuique appareant; ventus e. g. cui frigidus apparet ei est frigidus. Atqui cui aliquid apparet, is percipiat id quod sibi appareat necesse est. Perceptio igitur est semper ejus, quod est et mentiri nequit, est scientia. Hoc cum reliquis sententiis Protagorae non bene cohaerere obscure Socrates significat, rogans, num forte arcanam habuerit doctrinam. Theaeteto sciscitante quid haec sibi velint, uberius Protagorae doctrinam exponere incipit. Huc fere redit. Nihil est per se, nihil stabile, omnia ex mixtione et motu oriuntur. Non igitur quidquam esse, sed fieri dicendum. Hoc omnes fere praeter Parmenidem docuere sapientes, Protagoras, Heraclitus, Empedocles. Epicharmus et Homerus iam indicaverunt.

IX. Vim motus esse genetricem, quietis exitialem, vel inde patet, quod ignis, ceterarum rerum origo, oriatur ex frictione, hoc est ex motu. Sic corpora animalium corrumpuntur quiete, exercitatio ad bonam valetudinem retinendam omnino requiritur, animus dicendo et meditando, hoc est movendo, emendatur, quae si negligantur, nec discit nec antea accepta conservat. Etiam aqua stagnans depravatur, motu a depravatione defenditur. Idem Homerus jam indicavit memorata aurea catena, qua solem intellexit, quo se movente omnia vigeant, quiescente perire debeant.

X. Haec vero principia sic ad sensuum perceptiones accommodanda; color e. g. nec in oculis nec in rebus externis existit, sed motu externo oculis congruo ac-

cidente inter oculum et rem conspectam oritur, nam alii res aliter vident et quisque alio tempore aliter de rebus iudicat.

Sin vero qualitates rebus inhaerent, non aliis aliam praeberent speciem, si nobis inhaerent, non de aliis rebus aliter iudicaremus. Accedit, quod si aliquid stabile ponatur, ridicula inde orientur. Sic e. g. sex tali dimidio plures sunt quatuor talis, at dimidia tantum pars duodecim talorum, maiores igitur et minores simul.

XI. Attamen 1. nec res nec numerus major fit, minorve, quamdiu idem manet, 2. cui nec additur nec adimitur, hoc neque augetur neque minuitur, sed idem manet, 3. quod non est, postea non potest esse, nisi fiat. Haec tria magnam confusionem excitant in animo, si exemplo talorum adhibeantur vel cogitetur, Socratem eodem anno maiorem et minorem Theaeteto esse posse, quum tamen Socrates idem maneat, et sic, quamvis non fiat, quod non sit, tamen postea futurus sit. Haec tamen adhibita Protagorae doctrina facile explicantur.

XII. Universum, nil nisi motus; motus autem duo sunt genera, agens et patiens. Hinc duplicia oriuntur, perceptio et res percepta, quae simul orta simul pereunt, suntque diversa pro diversa conditione motus, unde originem capiant. Sic oculus et congruens motus gignunt albedinem et perceptionem, oculus fit videns, alterum album. Eadem ratione omnes sunt perceptiones explicandae. Nihil omnino est per se, omnia ex motuum reciproca actione oriuntur; non enim agens est agens, patiente demto, nec patiens

patiens, quando agens desideratur; quum igitur nihil est per se, non licet dicere *esse*; nihil *est*, omnia *fiunt*.

XIII. Haec Theaeteto vera videntur, at Socrates accuratius examinanda censet. Prius vero tota sententia est exponenda.

Dicunt quidem homines, in somniis, morbis et furore perceptiones non esse veras, sed probari nequit, vigilantium et sanorum opiniones esse veriores.

XIV. Deinde homo dormiens, aegrotus, insanus dissimilis est vigili, valenti, sano, alia igitur gignit, alia, sed sibi semper vera, percipit, nam videmus, nec agens, nec patiens per se existere, nec igitur perceptionem sine re percepta, cogitari posse.

XV. Sic igitur effatum Homeri et Heracliti *omnia fluere*, Protagorae *omnium rerum mensuram esse hominem*, Theaeteti *scientiam esse perceptionem*, eodem redeunt. His expositis examen instituendum.

XVI. Dicit Socrates, se reliqua satis probare, sed non intelligere, cur non Protagoras suam vel simiam vel aliud abjectius etiam animantium sensuum perceptione praedictorum omnium rerum mensuram dixerit. Praeterea, si omnis est opinio vera et unusquisque optime de suis judicare potest, miratur cur aliis Protagorae institutione opus sit. Tota praeterea philosophia, omnis opinionum examinatio vana est et inutilis, si Veritas Protagorae vera profert, nec ioco haec dicuntur. His a Socrate Theodoro dictis hic detrectat disputationem propter amicitiam Protagorae et aetatem suam ad disputandum minus idoneam.

XVII. Theaetetum igitur interrogat Socrates, utrum

miretur, se tam subito nullo homine nec Deo inferiorem sapientia evasisse. Theaetetus pronus est ad sententiam mutandam. Socrates vero dicit, Protagoram his responsurum fore, si viveret, de Diis non esse disputandum, de quibus nihil decernere voluerit; alteram objectionem, sic nullum hominem sapienterem ullo animali esse, probatione indigere. Videndum igitur, num scientia et perceptio sit unum idemque.

Si videre et audire est scire, nosque hominem ignota lingua utentem audimus, aut literas ignotas videmus, quid dicendum, nos scire linguam et literas, aut, nos nihil nec audire nec videre? Respondet Theaetetus, nos audire sonum, videre figuras, percepta scire.

XVIII. Ut Theaeteto gratificetur hanc accipit solutionem Socrates, sed alia objicit. Quae didicit quis eorumque meminit nonne scit? Omnino. Attamen, si aliquis rem viderit et oculos clauserit, meminit, non vero amplius videt, nescit igitur quorum meminit. Sic Protagoras refutatus videtur, quamvis ille fortasse aliquid respondere posset. Theodoro defensionem detrectante, Socrates promittit, se pro viribus Protagorae sententiam defensurum esse. Prius nova obiicit sub specie exempli, quo illustretur, quanta animi attentione in disputando opus sit.

XIX. Fieri potest, ut eandem rem simul scias et nescias? Minime. At si altero oculo clauso altero rem conspicias, eandem rem simul vides et non vides. Atqui videre est scire. Igitur . . . Deinde, pro diversa perceptionum conditione diversa oritur scientia, haec, distorta, subsurda cet. omnibusque vicissitudi-

nibus, quibus obnoxia est perceptio, etiam premitur scientia.

XX. Protagoras igitur sic se defenderet. Socrates cum puerulo colloquens ejus abusus est timiditate ut me refelleret. At si, qui pro me disputat, non quae ego dicturus fuisset dixerit, illo victo non ego victus sum. Jam vero nemo concedet, meminisse esse idem ac percipere, aut timebit, ne dicat, fieri posse ut idem simul idem sciat et nesciat; numquam certe dabitur, hominem alia percipientem, mutatum igitur, eundem mansisse. Non igitur thesem mitto, cuique suas esse perceptiones, quemque nostrum existentium et non existentium esse mensuram, quanvis diversae sint diversorum hominum perceptiones. Nec sapientes existere nego, nam ille ipse sapiens est, qui efficere potest, ut quae mala videantur et sint, bona videantur itemque sint. Sic, quod aegroto videtur et est amarum, sano videtur et est dulce. Non sapientior est sanus, sed ejus est melior conditio, in quam igitur altera est mutanda. Idem fit in educatione. Medicus vero mutat medicamentis, sophista verbis; non autem efficitur, ut, qui falsa opinetur, veram adipiscatur opinionem: quae non sunt, opinioni nequeunt subjici, quae sunt, semper vera sunt: melior igitur efficienda est conditio, ut meliora videantur et sint. Hoc fit in hominibus, imo vel in plantis: sic etiam boni oratores efficiunt, ut bona pro malis civitatibus justa videantur. Eodem modo discipulos docet sophista et hanc ob rem magna mercede dignissimus est. Sic sapientiores alii aliis nemine falsa

opinante. Ita et tu mensura es. Contra haec disputes, oratione vel dialogo, ut velis, sed hoc teneas, in rixando sophismatibus uti licet, in disputando veritatem quaerere decet.

XXI. His dictis iterum Theodorum invitat, ne postea reprehendi possit, quod puerorum sit imbecillitate abusus. Cedit ille tandem, suscipitque disputationem, donec Protagorae doctrinae examen sit absolutum.

XXII. Iterum dicit Socrates rem accurate esse inspicendam, et quidem ipsius Protagorae verbis utendum. Dixit igitur Protagoras, cuique verum esse, quod ei videatur. At omnes homines, in rebus magni momenti in primis, alios alii peritiores iudicant. Peritiam putant esse veram, imperitiam falsam opinionem. Attamen hanc hominum opinionem si veram esse concedit, suam evertit, si negat, hanc certe non veram esse contendit. Plurimi Protagorae sententiam falsam esse opinantur. Atqui dicens, omnes veras esse opiniones, adversariorum opinionem admittit, imo, si forte fortuna omnino nemo crederet, doctrina ejus omnino non esset vera. Quoniam vero vel nunc pugnaret fortasse adhuc Protagoras, res accuratius etiam consideranda est.

XXIII. Firmissima pars doctrinae Protagorae sensuum continetur perceptionibus opinionibusque de rebus justis et injustis; facilius vero concedet de rebus utilibus, aliam alio verius opinari. Haec certe sententia est eorum, qui minus rigide Protagorae philosophiae partes sequantur. Sed majora etiam conside-

randa se offerunt. Respondet Theodorus ipsis esse otium. Hinc occasione data, Socrates felicitatem philosophorum celebrat, quippe qui in disputationibus suis nec argumento nec tempori sint adstricti, quum contra homines quotidiani semper in judiciis versantes, saepe de vita dimicantes, servorum utantur conditione.

XXIV. Non igitur mirandum, si philosophus ridiculus videtur in rebus quotidianis et in judiciis vincitur, talia scilicet numquam curavit, sed rebus sublimioribus occupatus; corpore tantum in civitate degens, animo universum lustrabat;

XXV. Et si vel maxime in his labatur philosophus, alteri, si de philosophia iis agendum, non minus risui sunt, non imperitis quidem, qui scilicet non animadvertant, sed sapientibus, praetereaque in dies corrumpuntur et post mortem erunt miserrimi. Haec rident illi, sed vel rationem cur philosophiam despiciant reddere nequeunt.

XXVI. His dictis instauratur disputatio. Protagorei igitur contendunt, aliarum rerum; maxime justae et injustae hominem esse mensuram, nemo vero amplius affirmare audet, omnia, quae utilia videantur, ideo prodesse. Civitas enim legibus positae utilitatem quaerit quidem, sed non semper adipiscitur. Haec maxime elucent, si consideratur, utile etiam circa tempus futurum versari; leges enim ponuntur, ut prosint temporibus futuris. Iterum igitur rogemus Protagoram: nonne homo omnium rerum, sensuum certe perceptionum omnium est mensura, quippe quarum in se criterium habeat? Omnino. Attamen etiam hoc du-

bium est in rebus faturus; medicus e. g. melius aegroto judicare potest, utrum hic febris laboraturus sit et sic calorem vel frigus percepturus. Sic agricola verius quam citharista de futuro vini sapore opinatur, musicus verius quam paedotriba de opinione ipsi paedotribae futura circa harmoniam, coquus melius quam conviva de voluptate ex cibis ipsi convivae futura, ipse Protagoras opinionem futuram judicium omnium optime praedicere posse prae se ferebat, quod etiam aliis persuasit indeque multam pecuniam sibi comparavit: sit igitur sapiens mensura, certe non omnium rerum unusquisque hominum. Attamen de praesenti conditione difficile est judicare. Hactenus fortasse vere dixit Theaetetus, perceptionem esse scientiam. Quoniam vero omnis haec sententia ex Heracliteorum fluxit doctrina, haec accuratius est consideranda.

XXVII. Heraclitei igitur depinguntur, ut qui doctrinam suam, omnia moveri, etiam exemplo probent, tantaque obscuritate loquantur, ut ex iis nihil sciscitari possis. Doctrina vero haec est. Omnia moventur, ut jam Homerus indicavit, posteriores uberius explicuerunt, exceptis Eleaticis, qui in contrarias abiere partes. Videndum igitur, quid magis placeat.

XXVIII. Motus duo distinguuntur genera. - Mutatio conditionis et mutatio loci. Ne vero quidquam consistet omnia utroque motu simul moveantur necesse est. Jam vero qualitas et perceptio versantur inter agens et patiens. Agens fit *quale*, patiens *percipiens*. At quum omnia moveantur semper utroque motu, de nulla certa perceptione loqui licet. Perceptio igitur

si est scientia, haec doctrina etiam scientiam tollit, omnia effata eadem gaudent veritate, nullis vero vocabulis uti possumus. Sic victus est Protagoras, patuit, secundum Heracliteos perceptionem non esse scientiam, et Theodorea finem disserendi facit.

XXIX. Socrates vero, quamvis rogante Theaeteto, Eleaticorum placita examinare detrectat, ne difficultate quaestionis obruti de Parmenide imprimis minus recte sentiant, quaestionemque propositam mittant. Iterum igitur rogat; nonne scientiam perceptionem dixisti? Omnino. At sensuum organa instrumenta sunt, quibus singula percipimus, quod vero alio sensu percipimus alio percipere non licet. Sic nec sonum videmus nec colorem audimus; quae igitur diversorum sensuum perceptionibus sunt communia, non uno quodam horum sensuum percipimus, v. c. existentiam, diversitatem, identitatem, numerum, similitudinem, dissimilitudinem, par et impar. Haec omnia non sensibus sed sua vi propria percipit animus.

XXX. Accedit, quod, qui jam diu sensibus utatur, multo tantum labore discat notionas essentiae cet. sibi formare, quae igitur non eadem sunt ac perceptiones. Essentia vero est veritas, nam verum est, quod est. Non igitur sensuum perceptiones attingunt veritatem, sed ratiocinatio de iis; sine veritate nulla scientia, non igitur perceptio est scientia. Non igitur quid sit scientia inventum est, dicit Socrates, sed lucrati sumus, quod eam non in sensuum perceptionibus sed in animi actionibus quaeramus.

XXXI. Theaetetus novam definitionem proponit

scientiamque dicit veram opinionem. Socrates vero dicit, se saepe de falsa opinione cogitasse, quidque sit non intelligere; omnia enim, aut scimus, aut nescimus, ommissis in praesens tempus notionibus discendi et oblivionis. Si igitur haec divisio omnia complectitur, necesse est, opinionem versari circa res vel notas vel ignotas: fieri vero nequit, ut eandem rem sciamus et nesciamus simul. At, qui falsa opinatur, putatne is, ea quae scit esse alia, quae item scit? Fieri nequit. Quae nescit igitur putatne ea esse alia, quae item nescit? Nec hoc. Quae vero nescit non opinari potest esse alia, quae scit, nec quae scit alia, quae nescit. Atqui, haec si vera sunt, nullus locus est relictus falsae opinioni. Eadem occurrit difficultas, si non ad scire vel nescire, sed ad esse vel non esse oculos convertamus. Ut enim qui nihil videt omnino non videt, sic qui nihil opinatur omnino non opinatur.

XXII. Proponit Socrates quaestionem, num forte oriri possit falsa opinio ex permutatione opinionum, ut semper quidem de re existente sit opinio, sed de alia tamen quam proposita. Attamen, ambae res si in animo sunt praesentes, numquam permutantur; sin vero alterutra tantum praesens est, minus etiam permutari possunt. Etiam sic igitur rejicienda videtur falsa opinio.

XXXIII. Notiones discendi et obliviscendi adhibendas censet, proposita imagine massae cereae in animis nostris, ubi imprimantur quae discamus, ita ut pro qualitate cereae magis aut minus perspicue impressa diutius vel brevius maneat. His expositis explorare

incipit, quando oriri possint falsae opiniones, quando non. Primum scientiam per se considerat. Quae scimus non possumus confundere cum aliis, quae item scimus, nec quae nescimus cum aliis, quae item nescimus, nec quae scimus cum aliis, quae nescimus, nec quae nescimus cum aliis, quae scimus, nec, sensuum perceptione per se spectata, quae percipimus cum aliis, quae percipimus, nec quae non percipimus cum aliis, quae non percipimus, nec quae percipimus cum aliis quae non percipimus, nec quae non percipimus cum aliis, quae percipimus. His dictis conjungit scientiam et perceptionem. Quae probe scimus et accurate percipimus non confundere possumus cum aliis, quae item probe scimus et accurate percipimus. Nec quae probe scimus et accurate percipimus cum aliis, quae scimus, nec quae probe scimus et accurate percipimus cum aliis, quae percipimus. Praeterea, quae plane nescimus nec percipimus confundere non possumus cum aliis, quae item nec scimus nec percipimus, nec quae nescimus nec percipimus cum aliis, quae non percipimus. His dictis exponit, quomodo fieri possit, ut falsa opinemur; quae scimus, scilicet confundentes cum aliis, quae scimus atque percipimus, aut cum aliis, quae nescimus atque percipimus, aut quae scimus atque percipimus cum aliis, quae item scimus atque percipimus.

XXXIV. Dicta exemplis illustrat, posteaque brevi comprehendit, dicens; sine scientiae et perceptionis conjunctione non est falsa opinio, sed falsa opinio in eo consistit, ut, quas imagines in animo habeamus,

cas non ad sua exemplaria, sed ad alia referamus. Hujus rei causam dicunt esse pravitatem ceræ imagines aut non bene recipientis, aut non bene servantis. Sic igitur verarum et falsarum opinionum existentia est probata.

XXXV. Novam facit objectionem Socrates. Dicere aliquis posset; dixistis, falsam opinionem nasci ex cogitationis cum perceptione confusione, non vero cogitationes cum cogitationibus confundi. Attamen, qui secum computat, saepe ille falsa opinatur. Sic undecim et duodecim confundere potest. Ambo vero scit; simul igitur scit et nescit, quod fieri non posse diximus. Aliud quid igitur est falsa opinio, quam permutatio cogitationis et perceptionis. Si enim hoc esset, numquam in ipsis cogitationibus falsa opinaremur. Nunc vero, aut non est falsa opinio, aut quae scimus simul nescire possumus. Ut se ex hac difficultate expediat, quid sit scientia definire conatur.

XXXVI. Adhibet aliorum placitum scire dicentium, habere scientiam. Socrates mutat in possidere scientiam, quia quod possidemus non continuo habemus, quod aviarii similitudine explicat. Qui aves in aviario occlusit eas possidet, sed ut habeat prius debet capere. Sic quae discit homo in animo occludit, ut, quando iis ipsi opus sit, promere possit, e. g. arithmeticae peritus scit omnes numeros, omnium enim scientiam in animo habet. Talis homo tamen saepe aliquid computat, considerat igitur quasi nesciens, quae scit tamen.

XXXVII. Duplex igitur est venatio, ut possidea-

mus et ut habeamus. Qui vero arithmeticae aut grammaticae peritus aliquid computat aut legit, ille nec scit, quia tunc non opus esset inquisitione, nec nescit, quia tunc non esset peritus; sed quoniam semel distinximus inter possidere et habere, quae possidet aliquis non potest non possidere, nec quae scit nescire. Falsa vero opinio hoc in casu sic oriri potest, si fallimur inprehendendo, ut qui loco columbae palumbem prehendat. Sic liberi sumus contradictione, qua impediemur dicentes, hominem quae sciat posse nescire, sed peior confusio oritur, nam sic scientiae possessio causa erroris est, quod absurdum. Theaetetus quaestionem sic solvere conatur, ut in aviario illo etiam inscientias (sit venia verbo) oclusas ponat, quae interdum pro scientia prehendi possunt. At etiam sic difficultas remanet, nam qui inscientiam prehendit falsa opinatur, iudicabit tamen se vera opinari scientiamque habere, quum inscientiam habeat. Quid vero confudit talis scientiam et inscientiam utramque sciens, an neutram, an alterutram tantum? Sic ponere deberemus scientiam scientiae et inscientiae et sic in infinitum. Non igitur quaerenda est falsa opinio antequam patuerit, quid sit scientia.

XXXVIII. Iterum tentatur scientiae definitio, at Theaetetus veram opinionem non relinquit. Refellitur a Socrate exemplo artis oratoriae non scientiae sed opinionis effectricis, quae opinio tamen interdum forte fortuna vera est. Respondet Theaetetus, se aliquando audisse, scientiam esse veram opinionem adjuncta ratio-

cinatione. Haec audita definitione rogat Socrates, quae-
nam distinctio ponatur inter ea quae sciri possunt et
quae sciri nequeunt. Theaeteto nesciente ipse audita
enarrat.

XXXIX. Dicunt hujus sententiae fautores, elementa
rerum esse rationationis, et, quae si nominari pos-
sint, scientiam tamen repellere, res compositas con-
tra scientiae objectas esse. His dictis Socrates addit,
ad scientiam requiri quidem veram opinionem et ra-
tiationem, sed sibi displicere, quod dicant, ele-
menta scientiam repellere.

XL. Quod enim de omnibus valet de singulis valet
etiam, nec igitur ex elementis a scientia remotis
componi potest aliquid, quod scientiae objici potest.

XLI. Nemini enim dicere licet, quod de omnibus
valeat non ideo de toto valere, nam tenendum, totum
esse, cui nihil desit; sic et omnia dicitur de collec-
tione, cui nihil deest; totum igitur idem est ac omnia.
Non igitur quod ex partibus compositum est scientiae
objici potest, si partes scientiam repellunt, quod
exemplo artis legendi et musices confirmatur.

XLII. His dictis redit ad propositam definitionem.
Vocabulum *ratiocinatio* triplici modo exponi posse
dicit, aut significari expressionem opinionis sermone,
quod tamen non magis scientiae quam opinioni pro-
prium; aut partitionem, quae tamen forte fortuna
bona fieri potest sine scientia, ut patet ex pueris le-
gendi artem discentibus, est igitur recta opinio cum
ratiocinatione, quae nondum scientia dici potest.

XLIII. Tertia significatio videtur esse, ut differentia

rei ab aliis indicetur. Sed, sine notione differentiae vel recta opinio nequit existere, si vero differentiam scire debemus, scientia est recta opinio cum scientia differentiae. Non igitur scientiae vim cepimus.

XLIV. His dictis Socrates disputandi finem facit, dicens, esse magni pretii liberari ab errore, sibi vero nunc in tribunal abeundum esse propter Meleti accusationem, postridie sermonem esse continuaandum.

ANALYSIS ARGUMENTATIONIS.

Non credibile est, Platonem in scribendo Theaeteto aliud consilium habuisse, aliud significasse. Quaestio tamen in initio libri ponitur, quid sit scientia. In fine vero non declaratur quid sit, sed eam non consistere in vera opinione cum ratiocinatione. Haec pugnare videntur; quae tamen contradictio videtur tantum nec est, ut patebit re attentius considerata. Sed aliae etiam oriuntur quaestiones. Protagorae sententia in Theaeteto sic refellitur, ut fere unice ad hanc refutandam librum conscriptum esse existimaremus. In postrema vero dialogi parte aliae etiam sententiae oppugnantur. Aliudne igitur consilium in his interpretandis Platoni tribuendum? Concedo, Plato Protagorae doctrinam, toto coelo a suo diversam, nec ignorare, nec memoratam non refellere potuit. Quidni

igitur statuamus, Platonem Theaetetum conscripsisse, ut everteret Protagorae et aliorum quorundam philosophorum sententiam? Consilia igitur multiplicia Platoni in hocce opere edendo fuisse videntur. Haec omnia tamen ut uno libro sic una notione comprehendendi posse credo. Haec notio est notio processus. Proposuit scilicet sibi, ut ope dialecticae gradatim ascenderet ad scientiam usque. Quaestionem quidem non profigavit in Theaeteto, nec proprie quid sit scientia docuit. Notum vero est Platonem distinxisse inter mundum apparentem et mundum cogitabilem. Ad primum opinionem, ad alterum scientiam referebat. Ut vero in natura omnia gradibus fiunt, sic Plato, a maxime rudibus initiis profectus, sic opinionis peragravit regionem, ut transitus in mundum cogitabilem paratus esset. Processus partem, quae nostro libro continetur, nondum quid sit scientia patefacere, non est mirandum. In quoque gradu ostendere debuit Plato, eum, qui hic subsisteret, errare; hoc vel in ultimo facere debebat, quia transitus in mundum cogitabilem restabat adhuc. Quid tamen invenerit satis indicavit. Maxima vero libri interpretandi difficultas in eo versatur, quod, quae sua tantopere a nostra diversa ratione enunciauit, tantis ornamentis ex hac eius disputandi ratione et ex dialogi forma petitis obvoluta jaceant, ut externa prima certe specie eripiant interna legentium oculis. Quae igitur dixi optime, credo, sic probare potero, si omissis omnibus ornamentis Platonis argumentationem sic tradam, ut mihi videtur schemate dialogi contineri.

Quaestione posita, quid sit scientia, primum respondetur *perceptio*. Et recte quidem. E perceptione enim primas notitias nobis oriri quisque concedet. Rebus externis attentio movetur, nec mirum est, has unice veras videri. Haec sententia, etiamsi nulli philosopho placuisset, memoranda tamen erat, ut ordine progredieretur. Quum vero defensa esset a viro nobilissimo, Protagora, et arcte cohaereret cum materialismo Heracliteorum, accuratius examinanda erat. Protagoras vero alio quodam modo enuntiaverat. Primum igitur demonstranda erat doctrinae Protagorae cum hocce placito identitas. Hoc vero sic philosophus perfecit. Protagoras dixit, omnium rerum mensuram esse hominem, sive, omnia cuique esse, ut ei appareant. At, cui apparet res, is percipit rem. Est igitur sententia eadem alio modo enunciata. Sic in primo hoc evolutionis gradu omnes opiniones censentur verae falsaque nulla. Quoniam vero cuique sua est opinio, omnis scientia fit mere subjectiva. Quomodo haec sententia cum Heracliteorum doctrina cohaereat facile apparet, si consideramus, secundum eorum placita nihil esse stabile, omnia semper moveri, resque apparentes oriri e motibus contrariis. Sic perceptiones oriuntur ex collisione agentis et patientis. Homo sentiens est patiens, res externae in ejus agunt sensus, eique sic apparent ut sensus agitatur. Sic scit tantum quae percipit, at ea scit certe, quoniam ipse patitur. Objectio ex somniis et insania petita sic solvitur, ut animadvertatur, hominem dormientem vel insanum alia uti conditione, quam vigilan-

tem et sanum. Quoniam autem perceptio oriatur ex collisione agentis et patientis, ex mutatione alterius alia oritur perceptio.

Exposita doctrina exponere conatur Plato, eam omnino esse falsam. Conclusiones inde ducit contra conscientiam et hominum opinionem pugnantes, quae, etiamsi ex mente Protagorae refutari quodammodo possint, vitia doctrinae tamen egregie patefaciunt.

I. Si omnes sensuum perceptiones sunt verae, omnia animantia, quae sensibus utantur, eodem jure omnium rerum mensura dici possunt.

II. Si omnes perceptiones verae sunt, omnes homines sunt aequae sapientes. Doceri igitur nemo potest aut debet, et absurde agunt, qui doctrinam suam aliis explicare conantur.

III. Si perceptio est scientia, omnia quae percipimus scimus. Hominem igitur peregrina lingua utentem audientes, scimus quae dicat, literas peregrinas videntes, scimus quid significant.

IV. Si perceptio est scientia, fieri potest, ut eorum memores, quae perceperimus, ea nesciamus tamen.

V. Si perceptio est scientia, fieri potest, ut eandem rem sciamus et nesciamus simul, quando v. c. uno oculo percipiamus, altero non percipiamus.

VI. Si perceptio est scientia, perceptione vel paulisper immutata, statim mutatur scientia.

His objectionibus quid ex mente Protagorae responderi possit exponit, ut magis etiam doctrinae perversitas appareat.

I. Prima objectio a Protagora cum contemptu reji-

ceretur. Res enim ex principiis ejus doctrinae vera erat, sed sic expressa risum dissentientium excitare debebat.

II. Etiam si quod ad veritatem scientiae omnes homines sint aequae sapientes, tamen practica sapientia differunt. Omnes enim oriuntur perceptiones ex collisione agentis et patientis. Altero igitur mutato alia oritur perceptio. At patiens in melius mutare sapientis est.

III. Peregrinae linguae vocabula audientes aut scripta videntes, scimus, quae audimus et videmus, soni gravitatem, figuram coloremque literarum, nihil amplius. Si quid video, Plato hic plus cogitandum reliquit, quam quod verbis expressit. Significationem enim horum sonorum figurarumque nec percipimus nec scimus. Homo vero talis linguae peritus scit. Nihil tamen amplius imperito percipit. Non igitur significationis gnara est perceptio. At pauperis est numerare pecus. Socrates a Theaeteto propositam solutionem accepit, ut ipsi gratificaretur. Postea tamen, ut videbimus, eodem argumento paullo aliter expresso totam Protagorae doctrinam sternit.

IV. Huic objectioni reponitur, meminisse nec esse percipere nec scire igitur, sed in his nihil esse contrarium. Est haec objectio ejusdem naturae ac prima, nam, etiam si thesis pugnet contra conscientiam et hominum opinionem, non tamen aliena a Protagorae mente. Concedere certe poterat sine contradictionis timore.

V. Concedet fieri posse, ut homo simul sciat et

nesciat. Quot enim perceptiones diversae, tot scientiae. Etiam in hoc nulla contradictio contra systema ipsum, sed tanto major contra hominum opinionem et conscientiam. Vis tamen hujus objectionis postea melius intelligetur. Hic explicari non poterat, quia nondum actum est de animo perceptionum copulatore. Haec est Platonis prudentia, non omnia uno impetu effundere, sed quaeque suo loco apponere.

VI. Qui alia percipit mutatus est. Homo mutatus alius est, alius aliam habet scientiam. Sic thesis sustinetur, sed individui identitas perit. Hoc magis indicatur quam diserte dicitur, attente vero considerantibus sponte occurrit. Ipse vero Plato fortasse magis sensit quam intellexit.

Protagoram autem sic maxime vinci posse vidit Plato, si ostenderet in ipso systemate esse contradictiones, quibus sponte corrueret.

Hoc igitur dilemmate ostendit.

Adversariorum opiniones Protagoras probare potest, aut non probare.

Si probat, probat eas opiniones, quae directe oppositae sunt sententiae ipsius.

Ergo non omnis opinio vera.

Si non probat, unam certe rejecit opinionem.

Ergo non omnis opinio vera.

Praeterea sic concludere licet.

Omnis opinio vera.

Atqui plurimi opinantur Protagorae sententiam esse falsam.

Ergo falsior quam verior est.

Imo, si forte nemo crederet, omnino non vera esset.

Dixerit hic fortasse Platonis reprehensor, ipsum Protagoram omnem veritatem et scientiam subjectivam putasse. Reponimus. Cur igitur librum edidit, ut suam aliis probaret sententiam? Hanc saltem edito libro confessus est, se objective veram credere. Hoc non diserte dixit Plato, sed tamen de eo cogitasse, sensisse certe videtur, ut fortasse efficere licet ex verbis ipsius *εἰ ἀληθὴς ἢ Ἀληθεῖα Πρωταγόρου, ἀλλὰ μὴ παιζούσα ἐκ τοῦ αὐτοῦ τῆς βίβλου ἐφθέγγετο.* pag. 162. A.

Vel ipsi Protagorei jam abjecerant sententiam, omnes opiniones, etiam circa utilitatem, esse aequae veras, et jure quidem, nam experientia docet, quae leges a civitatibus utilitatem iis contineri opinantibus ferantur, eas saepe esse noxias.

Sin vero ad futurum respiciatur tempus, jam ipse Protagoras doctrinam suam refutavit. Prae se ferebat enim, se optime eventum iudicii praedicere posse: idem experientia docet, medicus e. g. melius imperito de perceptionibus ipsi imperito ex morbo futuris iudicare potest.

Multum etiam ad Protagoram refutandum valet, quod ipsum illud placitum, unde ejus doctrina profecta est, omnia scilicet fluere, bene consideratum doctrinam ejus evertit. Si enim omnia sic moveantur ut nihil sit stabile, perceptio nulla fieri potest. Inter percipiendum mutatur et percipiens et res percepta, perceptioque simul ad orta est elabatur. Si igitur scientiam perceptionem dicimus ex hacce doctrina nihil omnino dicimus.

Hic Protagoras refutatus est, et Plato, si nihil aliud nisi hoc egisset, victor discedere poterat, sed, ut jam in initio hujus paragraphi significavi, Plato gradatim ascendens in infimo gradu Protagorae occurrebat, quem refutare debebat, ut ipse ulterius progredi posset. Protagoras jam nunc refutatus est, progrediendum igitur. Attamen prius hoc animadvertendum. Etiam si Protagoras victus sit, maximeque quia ipse secum pugnat, alius tamen defensor identitatis scientiae et perceptionis oriri posset et contradictiones Protagoreas evitans firmiter munire sententiam suam. Alio igitur modo quaestio profliganda erat et quidem sic, ut simul via sterneretur ad sequentia. Haec enim admirabilis est illa ars Platonis, qua gradus quisque etiam instrumentum est altius ascendendi. Dixi Platonem objectionibus III et V plus cogitandum reliquisse, quam quod expresserit. Quod ibi omisit, hic explicat. Diversi sensus quisque suas perceptiones habent. Sic alia visui, alia auditui propria. At nec sonum videmus nec colorem audimus. In universum percepta alicujus sensus non ab alio sensu percipi possunt. Nobis tamen de diversis diversorum sensuum objectis eadem oriuntur cogitationes. Notiones scilicet essentiae et existentiae, identitatis et diversitatis, numeri, similitudinis et dissimilitudinis, paritatis et imparitatis etc. non sensibus accipimus. Conjunctio perceptionum diversorum sensuum ostendit nobis inesse vim sensibus superiorem, perceptionum copulatricem, animum, qui non organorum ope sed vi sua haec considerat. Idem experientia quotidiana

confirmatur. Prius enim homines incipiunt percipere, quam notiones has sibi formare, quas nonnulli, bonis tamen sensibus praediti, vix unquam assequuntur. Hae igitur notiones *animi* non *sensuum* sunt. Inter has etiam *essentia*. *Essentia* vero est veritas, nam verum est, quod est. Sine veritate nulla scientia, non igitur perceptio est idem ac scientia.

Nondum igitur reperimus quid sit scientia, ὁμοῦς δὲ τοσοῦτόν γε προβεβήκαμεν, ὥστε μὴ ζητεῖν αὐτὴν ἐν αἰσθήσει τὸ παράπαν, ἀλλ' ἐν ἐκείνῳ τῷ ὀνόματι, ὃ τι ποτ' ἔχει ἡ ψυχὴ, ὅταν αὐτὴ καθ' αὐτὴν πραγματευέται περὶ τὰ ὄντα. pag. 187. A.

Nihil est quod addam; ipse Plato his verbis quasi digito ostendit, qua methodo philosophetur. Sponte etiam sic in secundum scalae gradum perventum est, ubi se offert haec definitio, *scientia est opinio vera*. Hic vero alius nobis occurrit adversarius, et quidem, ut viris doctis visum est, Antisthenes. Hic enim docuisse fertur, fieri non posse, ut effatum ullum refutetur. Omnis igitur opinio vera. Idemne igitur hic legitur ac quod Protagorae tributum est? Minime gentium: adversarius hic, quisquis fuerit, ulterius quam Protagoras processerat. Difficultates, quas ille creat, non ex materialismo profectae sunt, sed exinde, quod animi functiones non recte interpretaretur. Si scilicet recte de opinione vera et falsa judicare velimus, diversi gradus perspicuitatis et evidentiae sunt distinguendi. Animadvertenda etiam ratio, quae inter animum et corpus intercedit, quippe quae maximorum errorum fons est uberrimus. Hoc magis indicavit

Plato, quam disertis verbis expressit. Attente vero considerantibus res patebit, ut spero. Ambigitur statim de falsa opinione, quid sit et unde oriatur, ostenditurque, eam existere non posse, certe si ratiocinemur certo quodam modo, de quo mox. In transitu animadvertendum; totam hancce quaestionem de falsa opinione magis ut difficultatem quam ut objectionem tractari; unde fortasse concludere licet, nullum hic adversarium spectari. Haec non certe affirmare audeam, sed non video, cur semper Platonem tamquam alios petentem proponeremus. Sententiam Protagorae refutare debuisset etiamsi a nemine defensa esset, ne, quum pedetentim progredere, hiatum post tergum relinqueret. Concedo tamen, Platonem nunquam fortasse sic disputaturum fuisse, nisi aliorum sententiae perversae veram in ipsius animo cogitationem excitassent. Ut enim Aristoteles alicubi animadvertit, non minores gratias debemus praecessoribus, a quibus dissentimus, quam iis, quorum placita nostra fecimus. Sed ad rem. Primum igitur ea ratione falsam opinionem examinat, ut simpliciter sibi invicem opponat scire et nescire, missis in praesens notionibus discendi et obliviscendi. Quando sic bifariam dividimus, ut omnia aut sciamus aut nesciamus, nulla est falsa opinio. Quid enim: de iis, quae scimus, non possumus non vera opinari: de iis, quae nescimus, omnino nihil opinamur, nec falsam igitur de iis opinionem habemus. Me haec vere explicuisse nisi fallor patet ex pag. 188 B, ubi haec leguntur *καὶ τοῦτ' ἔστι τῷ μῆτε Θεαίτητον μῆτε Σωκράτη εἶδοτι εἰς τὴν*

διάνοιαν λαβεῖν ὡς ὁ Σωκράτης Θεαίτητος ἢ ὁ Θεαίτητος Σωκράτης.

Secunda difficultas est haec: omnia aut sunt, aut non sunt. Is igitur, qui id quod est opinatur, vere opinatur, qui id quod non est opinatur, nihil opinatur, ergo omnino non opinatur; non igitur existit falsa opinio.

Denique sic explicare conatur, ut assumat, falsam opinionem esse permutationem notionum. At etiam hoc fieri nequit. Utraque notio aut praesens est in animo aut non praesens. Utraque praesente nunquam oritur permutatio, alterutra tantum praesente permutari nequeunt, quia ad permutationem duabus saltem rebus opus est. Has objectiones non recta via aggreditur. Hoc in secunda certe non fieri posset antequam perventum esset ad doctrinam Megaricorum, de qua in Sophista demum locus est agendi. Nec necesse erat, ut plane solveret, quippe objectiones istae omnes nituntur vitiosa partitione: in prima scire et nescire, in secunda esse et non esse, in tertia notiones praesentes et non praesentes sic sibi invicem opponuntur, ut simul omnia complectantur: non considerantur ut duae extremitates lineae continuae, sed ut duae hujus lineae partes dimidiatae. In proxime sequentibus vero ostenditur, varios esse perspicuitatis et evidentiae gradus, quod si animadvertitur omnes evanescet difficultas. Eadem fere ratione de objectione secunda judicandum, quippe quae omnino negligebat esse et non esse relativum. Quantopere reprobaret hanc nimiam abstractionem Plato, patet ex Sophista,

ubi contra Megaricos et Eleaticos disputat. Ut dixi, haec hic non poterat exponere, sed subiudicare tantum. In proximis tamen latet explicatio huic nostrae disputationi sufficiens. Imagines scilicet ex cogitatione oriundae conveniunt aut non conveniunt eum rebus externis. Semper igitur, si ad cogitationem respiciamus, est objectum cogitandi; sin vero ad res externas respiciamus, interdum revera versatur opinio circa id quod non est. De tertia objectione postea.

Fingit igitur ad rem illustrandam, *λόγου ἔνεκα*, massam ceream inesse animo nostro. Dissentire mihi liceat a Stallbaumio hic de ironia cogitante. Nec ironiam nec veram Platonis sententiam hic inveniri contendo. Ab eodem hic vitio cavendum est, a quo ut caveamus in quaerenda falsa opinione, hoc ipso loco nos monet Plato. Serio dixit aut non serio dixit. Nil intermedium esse videtur. Attamen aliud quid ipse significavit additis verbis *λόγου ἔνεκα*. Ut mihi videtur, parabola utitur, ad rem minus perspicuam explicandam. Et haec massa cerea et aviarium, de quo mox, mihi videtur *μύθος*, quales maxime tum adhibebat Plato, quando res ab ipso magis sentiebatur, quam intelligebatur. De his cf. Heusd. in Init. Ed. II. p. 67 et 68. Statuit igitur, in hacce massa cerea quae discimus imprimi, et pro diversa cerae ratione imagines esse magis minusve perspicuas, magis minusve constantes. Nos diceremus, res pro diverso hominum acumine et diversa adhibita attentione melius pejusve perspicui, pro diversa qualitate memoriae, diutius vel brevius retineri. Ostendere igitur conatur,

diversas sensuum perceptiones non confundi inter se, nec, animo itidem separatim considerato, diversas notitias permutari, nec oriri posse falsam opinionem permutatis iis, quae probe scimus, cum iis, quae perspicue sensibus percipimus, sed confusionem oriri posse, quando vitium sit ab alterutra parte. Ut imaginem lineae servem, ostendit extremitates non confundi, sed de punctis interjacentibus ambigi posse. Rei expositio uberius in argumento enarrata est, nec est cur hic repetamus. Quis vero hanc expositionem non admiratus est veritatemque, quae in dictis Platonis invenitur, agnovit. Et tamen ipse Plato hanc suam evertit sententiam. Res mira nec facile explicanda, nisi ex nostra methodi Platonis considerandae ratione. Quid enim? Non ostendit se falsa docuisse, sed nondum perfecta. Ipse postea dixit, non nisi perspecta scientia, quid sit, falsam opinionem plene intelligi posse, et recte dixit. Non nisi processu absoluto singula momenta quid sibi velint intelligi potest. Probat igitur exemplo hominis computantis, etiam notiones animi inter se permutari posse. Sic etiam responsum est ad objectionem illam tertiam, quam reliquimus. Ostensum enim est, quod ibi fieri posse negatur, revera fieri. Nondum vero res plene intelligitur, obijcitur iterum, qui notitias animi confundit, is, quae in animo habet scitque igitur, tamen nescire videtur, quod absurdum.

Haec igitur difficultas explicando tollenda est, hoc est evolvendo et ulterius progrediendo. Explicare conatur Plato *μυθῶν* aviarii in animo nostro, quo

scientiæ inclusæ possiderentur quidem, non tamen tenerentur. Videtur haec explicatio jam ab alio esse proposita, dicitur enim pag. 197. A. Ἀληθοῦς οὐδ' ὁ οὐκ λέγουσι τὸ ἐπίστασθαι; sed utrum ab alio jam proposita sit nec ne, hic non curandum. In processu enim disputationis suo loco est apposita, et, etiam si non sufficiat, quia nondum patuit, quid sit scientia, tamen hoc inde apparuit, notiones, quas in animo habemus, interdum non evidentes esse, sed latere, ita ut falsa opinemur de re, quam sciamus tamen. Sed haec est quaestio psychologica, quae fortasse Platonis viribus major erat, ut patere videtur ex μῦθος illo aviarii. Rem vidit, explicare non potuisse videtur. Dixit enim, sibi non apparere, quomodo fieri possit, ut, quae sciamus, tamen ipsi nos scire nesciamus. Hoc modo scientia scientiæ opus esse, et sic in infinitum. Eadem quaestio mota est a Spinoza, qui rem sic explicare conatus est. »Non est opus ut sciam, »quod sciam me scire, nam ut sciam me scire, necessario debeo prius scire. Hinc patet 1) quod certitudo nihil aliud sit nisi ipsa essentia objectiva; id est: *modus, quo sentimus essentiam formalem, est ipsa certitudo*; 2) quod ad certitudinem veri nullo alio signo opus sit, quam veram habere ideam; 3) neminem posse scire, quid sit summa certitudo, nisi qui habeat ideam adaequatam, aut intelligat essentiam rei objectivam." (Tractatus de intellectus emendatione). Sed ad Platonem redeamus. Dixit igitur, videndum esse, quid sit scientia, antequam de falsa opinione judicari queat. Deseritur igitur quaes-

tio, sed semina in legentium animis reliquit, et hoc certe lucrati sumus, quod intelligamus, falsam opinionem revera esse, et nobis appareat quodammodo, qua ratione existere possit.

Nunc demum profligatur definitio, scientiam esse veram opinionem. Experientia scilicet docet, oratores opiniones tantum excitare, quae, etiamsi verae esse possint, a scientia tamen longe sunt remotae. Utinam magis, exemplo Platonis admoniti, experientiam consulerent philosophi! Non temere oratoriae artis in postremis injecta est mentio. Persuadendo enim certant oratores, ratiocinatione utuntur. Hinc transitus ad tertium gradum. Ibi haec definitio proponitur. *Scientia est recta opinio cum ratiocinatione.*

Antequam de hacce definitione quaerere incipiat, viam ipse sibi munit, ut praemissa suppetant, nec necesse sit interrumpere disputationem. Audivit igitur, ut dicit, principia rerum scientiam repellere, quia sunt simplicia, res vero compositas scientiae objectas esse, quippe quae dividi possint, donec ad principia perventum sit. Hoc tamen falsum esse ostendit, quoniam, quod de omnibus, id etiam de singulis valeat necesse est. Totum vero omnes continet partes, et parte quadam privatum non amplius totum est. Quod igitur de toto valet de omnibus valeat necesse est. Non igitur fieri potest, ut ex principiis scientiam repellentibus res scientiae objecta componatur. His praemonitis ad ipsam accedit quaestionem. Vocabulum illud *ratiocinatio*, λόγος, tria indicare dicit. Primum, ut quae in animo nostro insint cogitationes,

eas verbis exprimere possimus. Ostendit hocce attributum jam pertinere ad veram imo ad omnem opinionem. Recte, quis enim negabit? Tamen non supervacua haec sunt; quod enim verbis exprimere possumus, id praesens est coram conscientia nec igitur in animo nostro latet.

Tum *divisionem rei in partes*. At ostendit fieri posse, ut quis bene dividat et tamen rem nesciat, sed opinetur tantum. Etiam hoc verissimum, attamen nec haec explicatio nullam ob causam addita est. Rem enim ut recte sciamus, etiam partes ejus, si quae sint, nobis notae esse debent. Dicit quidem vel sic fieri posse ut opinemur tantum, sed addit, esse igitur veram opinionem, quae *nondum* est scientia. Istud nondum quantopere meae faveat sententiae vix opus est ut moneam. Cavit etiam in praecedentibus, ne haec explicatio putaretur sufficiens, monstravit enim possibilitatem scientiae principiorum.

Denique *distinctionem rei ab aliis*. At haec non propria est scientiae, sed verae etiam opinioni omnino necessaria est. Si igitur haec explicatio rem non perficit, apparet tamen, etiam hoc scientiae esse quam maxime necessarium. Hic desinit dialogus. Paucis igitur dicta repetamus, ut intelligamus, quid proprie lucrati simus. Vidimus igitur, scientiam non in corporis sensibus, sed in animo quaerendam esse. Requiritur ut sit vera; ut non lateat, sed ejus conscius sit homo; ut rem cognitam perspiciat penitus; ut eam ab omnibus aliis distinguere possit. Plenius explicare non potuit Plato, antequam doctrinam de ideis exposuisset, Elea-

ticorumque et Megaricorum sententias refutasset. At tamen in nostro dialogo quis non admiratur summam subtilitatem egregiamque procedendi rationem?

At nunc fortasse reprehendor, quia nihil dixi de cap. XXIII—XXV, quibus nobilissima illa veri philosophi descriptio continetur. Hoc consulto feci, quia est episodium, et melius erat non interrompere disputationis cursum. Dixi jam in paragrafo de tempore, hoc episodio contineri defensionem Socratis. Alia vero etiam eò spectavit Plato. Proposuerat sibi in hocce dialogo ad limen tantum scientiae accedere, indicare vero voluit quid de scientia ipse judicaret. Diximus in argumento hujus episodii, philosophum res quotidianas non curare, quippe sublimioribus occupatum. Quenam vero sunt haec sublimiora? Notiones universales, aeternae, ideae. Platonem in his scientiam posuisse, non opus est ut moneam. Has exponere non hujus loci erat. Indicare tamen voluit, ut intelligi posset, quali consilio totam suscepisset disputationem.

ANNOTATIO.



pag. 147. C. **Ἀτάρ.** Quid hoc vocabulum hic faceret dubitans quaesivi, quum nullam oppositionem reperire possem. Respondit Timaeus in glossario, *ἀτάρ, συνδεσμος ἀντι τοῦ δή.* Citavit ibi Ruhnkenius Alc. I. p. 124. D. Min. p. 319. C. Phil. p. 66. C. Hipp. M. p. 281. C. cet. Locorum a viro clarissimo allatorum maxime ad nostrum pertinere videtur Theaet. p. 142. C. ubi haec Scholiasta *ἀτάρ] καὶ δή, ὡς ἄν· σημαίνει δὲ καὶ ὁμως καὶ ἄτε δή καὶ πλην καὶ δέ.*

p. 147. C sqq. *ἀτάρ κινδυνεύεις ἐρωτᾶν οἷον κ. τ. λ.* Elegantissime Plato Theaetetum proponit non definitione sed exemplo quae dicere vult experimentem. Sic enim fieri solet ab hominibus philosophica distinguendi ratione nondum peritis.

p. 148. C. pro τοῦ ἀκμάζοντος, legere mallet ἀκμάζοντός του, nam articulus hic non requiritur, et, quia ἀκμάζοντος praecedit verbum unde pendet, vix credo pronomen indefinitum primum locum obtinere posse. Hoc tamen urgere nolo, sed de articulo hic cogitari non posse mihi videtur.

p. 148. E. πολλάκις δὴ αὐτό. Mallet legere ταυτό aut αὐτό τούτο. Concedo quidem pronomen αὐτό eodem modo usurpari posse ac vernaculum *hoc*. e. g. Theaet. p. 151. E. ἀλλὰ φέρε δὴ αὐτό κοινη σκεψώμεθα, sed in loco nostro major in pronomine vis inesse videtur, quam ut sic simpliciter enuntiari possit.

p. 150. C. γονιμόν τε καὶ ἀληθές. Melius videtur scribere γονιμόν τε καὶ ἀληθές. Haec enim adjectiva opponuntur substantivis proxime praecedentibus εἰδωλον καὶ ψεύδος.

p. 150. D. εἶρημα τοιοῦτον, γεγονός. Melius mihi videtur distinctionem ponere post γεγονός, nisi forte totum illud vocabulum sit ejiciendum, quippe plane supervacaneum.

p. 150. D. παρείκη. Hoc vocabulum me offendit. Sive enim ducatur a παρείκειν, non bona oriri videtur significatio, sive a παρήμι, causa perfecti vix intelligitur. Ideo mihi in mentem venit scribere παρήκη, quam tamen mutationem meliore audita lubens mittam.

p. 151. D. ὅτι οὐδεις θεός δύσβουλος ἀνθρώποις. Optimus commentarius in haec verba invenitur. p. 150. C. μαινεσθαι με ὁ θεός ἀναγκάζει.

p. 151. D. *αισχροὺν μὴ οὐ*. De vi particularum *μὴ οὐ* cf. Wunderus in excursu II ad Sophoclis Oedipum Tyrannum. Stallb. ad Phaed. p. 85. C.

p. 153. C. *τὸν κολοφῶνα ἀναγκάζω προσβιβάζων*. Ad haec verba Stallbaumius sic annotavit. »Pro *ἀναγκάζω προσβιβάζων* Dobraeus Adversar. T. I. p. 115. »corrigendum putat *ἀναγαγὼν προσβιβάζω*. Qua mutatione haudquaquam indigemus. Recte enim monuit Heusdius et Heindorfius, *ἀναγκάζειν* esse evincere, cogere alterum ut quid concedat: quae verbi significatio apud Platonem non est infrequens." Tamen non credo, hanc veram verbi *ἀναγκάζειν* interpretationem Dobraei emendationem evertere. Quid enim, colophonemne cogeret Socrates ut concederet? Forte tamen melius esset pro *ἀναγαγὼν* legere *ἀνάγων* et distinctionem post *προσβιβάζων* tollere, ita ut accusativus *τὴν χρυσὴν σειρὰν* inter *προσβιβάζων* et *λέγει* pendeat, cf. Buttman. gr. gr. § 130. A. 1.

p. 156. C. *ἀλλ' ἄθρει, εἴαν πως ἀποτελεισθῆ*. Post *πως* inserendum puto *ἐπειδὴν*. Hoc vocabulo addito sensus oritur. At vide num forte [intellecturus sis] sermone finito. Verbum intellecturus sis facile supplentur ex praecedenti *ἄρα ἐγνοεῖς*;

p. 157. C. *καὶ λίθον καὶ ἕκαστον ζῶον τε καὶ εἶδος*. Stallbaumius emendare vult *καὶ λίθον καθ' ἕκαστόν τε καὶ κατ' εἶδος*. Hanc emendationem omnino rejiciendam puto; nam primum, quid *ζῶον* officiat non video. Deinde *καθ' ἕκαστόν τε καὶ κατ' εἶδος* esset perversissime dictum ex mente Protagorae. Attamen scimus, idem vocabulum antiquitus sensu minus philo-

sophico usurpatum fuisse, ut etiam nos in vita con-
muni de diversis rerum speciebus loquimur, non con-
tinuo de notionibus universalibus cogitantes. Hoc
sensu hic usurpare nihil vetat. Deinde haec *πολλὰ
ἀθροισθέντα* mihi non videntur referenda ad *εἶδη* sed
ad res ex multis partibus compositas, ad hominem e. g.
ex multis membris, aut melius etiam ex osse, carne,
sanguine cet. compositum. Ideo longe Astii conjectu-
ram praefero legere jubentis *καὶ ζῶον καὶ ἕκαστον εἶδος*.
Hac enim emendatione recepta sensus oritur; quam
collectionem vocant hominem, et lapidem, et ani-
mal, et quas alias species velis. *Καὶ ἕκαστον εἶδος*,
aut melius etiam fortasse *τε καὶ εἶδος ἕκαστον*, tunc
idem significat ac si scriptum esset. κ. τ. λ.

p. 161. A. *ὅτι με οἶε λόγων τινὰ εἶναι θυλακον*. Stall-
baumius *με* in *μοι* mutare jubet ratione addita, sac-
culum dici non posse ex sacculo aliquid expromere.
Hanc tamen emendationem accipere vetat sequens
illud *καὶ ῥαδίως ἐξελόντα ἐρεῖν*. Stallbaumii enim emen-
datione recepta sacculus ex Socrate expromeret. Ac-
cusativus *ἐξελόντα* ostendit *με* requiri, et, etiamsi non
ad logicam omnia exigere queant, sermo jocosus tamen
taliam non nimis urgere postulat.

p. 161. D. *τί δὴ ποτε*. mallet *τί δὴ τότε*. Ad inter-
rogationem adstringendam enim *δὴ* suffieit, quoniam
vero ei satis remotum est, *τότε* requiritur, ut mo-
neamur totam interrogationem esse hypotheticam.

p. 161. E. *τε καὶ φοιτητέον ἡμῖν ἢν παρ' ἐκείνον*.
Istud *ἢν* ejiciendum puto. Haec enim verba pertinent
ad apodosin enuntiationis hypotheticae, cujus protasis

futuro tempore est expressa, ἔσται — δοξάσει: quid igitur praeteritum in apodosi. Praeterea est aliquid, quod offendat in sono vocabulorum ἡμῶν ἦν. Nullo vero verbo opus est, nam est propositio nominalis. Verbum quippe substantivum facillime ex sententia intelligitur.

p. 162. E. ἀπόδειξιν κ. τ. λ. Dialogi causa haec addita videntur. Potuisset Plato statim probare, sed dramatica scribendi ratio non sinebat, nisi forte hic aliquem inimicum carpit. Hoc tamen urgere nolo, ne eorum ratione agam, qui Platonem semper et ubique adversarios carpere putant.

p. 165. C. οὐδὲν ἐγώ, φήσει, τοῦτο οὔτε τίπτω οὔτ' ἠρόμην τὸ ὅπως. Tota quaestio, ad quam haec verba pertinent, sophismati est similis, quod ipse Plato sensit, quum in praecedentibus scriberet ὅταν ἔρωτᾷ ἀνέκπληκτος ἀνήρ. Tamen ad eam solvendam non valebat philosophia, in qua substantia una, ad quam omnes perceptiones referrentur, desiderabatur. Animus videt aut non videt, visus ipsi non adimitur altero oculo clauso, sed ad hoc sophisma ex principiis Protagoreis petatum solvendum majore philosophiae cognitione, quam qua pollebat Protagoras, opus erat.

p. 166. A. ἐπειδὴ αὐτῶ παιδίον τι ἐρωτηθῆν ἔδειξεν. Si horum vocabulorum sententiam spectamus, sequentia εἰ οἷόν τε κ. τ. λ. manifesto pendent ab ἐρωτηθῆν, sin vero grammaticam constructionem, pendere videntur ab ἔδειξεν. Nemo tamen hic aliquid mutare cupiat, et e. g. verbum ἔδειξεν transponat post καὶ μὴ εἶδέναι. Haec enim dicendi ratio saepe occur-

rit et hyperbaton dicitur, cf. Stallb. ad Phaedonem p. 88. A.

p. 167. A. οὔτε γὰρ τὰ μὴ ὄντα δυνατόν δοξάζσαι. Haec prima specie ex mente Protagorae dici non posse videntur, quippe qui τῷ εἶναι substituit τὸ γίγνεσθαι, sed hoc credo tribuendum terminologiae imperfectae, de qua Socrates queritur p. 157. B, ubi haec dicit, τὸ δ' εἶναι πανταχόθεν ἐξαιρετέον, οὐχ ὅτι ἡμεῖς πολλὰ καὶ ἄρτι ἠναγκάσαμεθα ὑπὸ σινηθείας καὶ ἀρεπιστημοσύνης χρῆσθαι αὐτῷ. In loco nostro nihil aliud significatur, credo, nisi, non fieri posse ut opinemur, nisi statuamus opinionis objectum.

p. 167. E. ὡς ἀγωνιζόμενος. Dixit Stallbaumius ὡς non requiri ante διαλεγόμενος. Concedo, sed nec ante ἀγωνιζόμενος requiro, quia non ficta sed vera disputatio memoratur. Potius igitur omnino delere vellem.

p. 168. A. παρεκέκρουστο. Παρακρούειν ex ipsius Stallbaumii interpretatione est vocabulum a luctatione desumptum. Inde fluxit significatio ἐξαπατῆν, πλανᾶν, quam tradit Hesychius. Jam vero difficultas in eo est, quomodo aliquis a se ipso παρακρούεσθαι dici possit. Praeterea magis conveniret cum reliqua sententia, si sermo esset de vitiis, a quibus ipse, et sua opera, et per praecedentes sermones sanatus erat. Ideo mihi in mentem venit legere, περιπέκρουστο, ut legitur Rep. X. p. 611. E. καὶ περιπρουνθεῖσα πέτρας τε καὶ ὄστρεα, & νῦν αὐτῇ — περιπέφικεν. Hanc enim lectionem contra Stallbaumium cum Morgensternio παρακρουνθεῖσα legere jubentem

defendendam puto. Animus ibi proponitur, ut qui elevatus sit ex mari, in quo nunc versatur et, non qui contusus, sed qui mundatus sit iis, quae ei περιπέφυκεν, ita ut Glauconi marino similis sit, cui dicitur ἄλλα προσπεφυκέναι, ὄστρεά τε καὶ φύκια καὶ πέτρας, quae omnia amovenda. Sic et in Philebo. p. 55. C., ubi haec leguntur, γενναίως δέ, εἴ πῆ τι σαθρὸν ἔχει, πᾶν περικρούωμεν, ἕως ὃ τι καθαρώτατόν ἐστ' αὐτῶν φύσει, τοῦτο κατιδόντες κ. τ. λ. vulgatam lectionem servandam puto, quae si retinetur, locus sic vertendus videtur. Ingenue vero, si quid corruptum habeant, omne hoc circumcidamus, donec id, quod purissimum ipsorum sit conspicientes cet. Verbum περικρούειν sic usurpatum de circumcissione rerum adhaerentium noxiarumque facillime mundandi, purgandi, sanandi significationem accipere poterat, quae in loco nostro mihi requiri videtur.

p. 169. A. οὐ δέ μοι — τέλνειν. Quid Sciron hic faciat non video; Antaeus jure citatur, quippe qui praetereuntes ad luctandum cogeret. Ejicere vellem, si plene indicare possem quomodo in textum pervenerit. Quum tamen in arte critica, in Graecis in primis, ut monuit Wyttenbachius, a temeritate abstinendum sit, locum notasse sufficiat.

p. 170. C. πότερον — ἢ — ἐξ ἀμφοτέρων. Qui omnino ubique Platonem alios carpere volunt dicere possunt, Protagoram dilemmate peti, quia ipse tali disserendi forma delectabatur, adhibito testimonio Auli Gellii V. 10. cf. Bachmann. System. der Logik. p. 248.

p. 179. E. Παντάσῃ μὲν οὖν. Nescio an inveniatur

apud Platonem *παντάπασι μὲν οὐκ*. Hic certe magis mihi placeret responsio negans. Heracliteorum enim exemplum, ut ex sequentibus patet, minime imitandum censet Theodorus. Ironia vero ab ejus persona aliena videtur. Cf. p. 145. B. *ἀλλ' ὄρα μὴ παίζων ἔλεγεν. Σ. Οὐχ οὕτως ὁ τρόπος Θεοδώρου.*

p. 181. D. *τῆσ δὲ περιφορᾶν*. Omnino probanda videtur Heindorfii conjectura pro *περιφορᾶν*, *φορᾶν* legere jubentis. Non autem opus erat ad probandum loca e Parmenide afferre, quum in proximis Socratis verbis jam legatur *φερόμενόν τε καὶ ἀλλοιούμενον*, et sic ubique in sequentibus de *φορᾶ* non de *περιφορᾶ* sermo sit.

p. 181. E. *τὸ δὲ μὴ κινεῖσθαι μὴ ἐνεῖναι μηδενί*. Haec verba nisi addita essent, tota ratiocinatio foret manca. Si enim omnia moventur, non ideo omnia utroque motu moventur. Fieri igitur posset, ut omnia aut *φορᾶ* aut *ἀλλοιώσει* moverentur, igiturque et motum et quietem participarent. Hoc ut refutaretur necesse erat dicere *πάντα* non tantum *κινεῖσθαι* sed *ἀμφοτέρως κινεῖσθαι*. Doctrinam Heracliti de motu copiose explicuit Brandis, Handbuch der Geschichte der Griechisch-Römischen Philosophie a pag. 154.

p. 182. A. *αἰσθητόν*. Non possum non probare Schleiermacheri emendationem *αἰσθανόμενον* legere jubentis. Sententia postulat, ut hic de percipiente sermo sit. Vix autem credo fieri posse, ut verbale in *τός* activam accipiat potestatem, quod etiam si fieri posset, solita tamen in hac disputatione dicendi ratio obstaret. Vide in fine periodi *ἀλλ' ἐξ ἀμφοτέρων*

πρὸς ἄλληλα συγγιγνομένων τὰς αἰσθήσεις καὶ τὰ αἰσθητὰ ἀποτίκτοντα τὰ μὲν ποιὰ ἅττα γίνεσθαι, τὰ δὲ αἰσθανόμενα. Haec verba enim nobis τὰς αἰσθήσεις et τὰ αἰσθητὰ proponunt opposita sibi invicem, ita ut causa sicut αἱ αἰσθήσεις qualitatum apparentium, τὰ αἰσθητὰ vero rerum has qualitates accipientium. Sententiae vim percepisse videtur librarius ille, qui αἰσθητικὸν legere voluit. Stallbaumii sententiam frustra quaesivi.

pag. 183. D. ἐρώτα οὖν καὶ ἀποδοσε. Notanda faceta Theodori responsio, qui verba Theaeteti tenens aliam quodammodo iis tribuit significationem. Vidi nonnullos mirari, cur Socrates tantopere conetur Theodorum sermonis participem reddere. In hoc ipso mihi videor Platonis cernere elegantiam, quippe qui sic magnum hujus disputationis momentum significaverit. Hoc quomodo cum summa arte dramatica perfecerit, apparebit magis etiam, si consideramus p. 166. A. Οὗτος δὲ ὁ Σωκράτης ὁ χρηστός, ἐπειδὴ αὐτῷ παιδίον τι ἐρωτηθῆν ἔδειξεν, quibus verbis Protagoras, Theodori ἐταῖρος, Socratem increpans fingitur, quaeque comparata sunt ad Theodorum cogendum, ut sermonis particeps fiat, ut patet ex p. 168. C. ἐνενόησάς που λέγοντος ἄρα τοῦ Πρωταγόρου καὶ ὀνειδίζοντος ἡμῖν, ὅτι πρὸς παιδίον τοὺς λόγους ποιούμενοι τῷ τοῦ παιδὸς φόβῳ ἀγωνιζόμεθα εἰς τὰ ἑαυτοῦ κ. τ. λ.

p. 186. D. Ἐν μὲν ἄρα τοῖς παθήμασιν οὐκ ἔστι ἐπιστήμη, ἐν δὲ τῷ περὶ ἐκείνων συλλογισμῷ. Tota ratiocinatio, quae continetur Capp. XXIX et XXX.

comparata est ad probandum, scientiam non in sensibus esse quaerendam, sed in animi actionibus. At tamen sic non omnia sunt exhausta, quae inde proficere licet. Si quid video, Plato hic indicavit rationem, qua materialismus omnino confutandus est. Scio, Cl. Biedermannum in opere nuperrime edito animi existentiam negare, scio plures huic opinioni favere. Horum tamen me minus movet auctoritas, quam veritas simplicis disputationis Platonicae. Quomodo, quaeso, cogitandi actio, quomodo inprimis formatio notionum abstractarum explicari potest, si animi negamus existentiam? Juvat hic Bachmanni verba apponere, qui in *Systemate Logices* p. 33. sic disseruit.

»Conscientia nos cogit, ut agnoscamus differentiam
 »inter *animum* et *corpus*. Animum non cogitare
 »possumus materialem, in partes plures, perceptioni
 »objectas, reales distinctum, ut corpus, quia nec
 »conscientia ipsa, nec cogitatio, voluntas cet. ullo
 »modo sic explicari possunt. Eatenus animus dicitur
 »intelligibilis, simplex, et quatenus cogitat, cognos-
 »cit, cum conscientia sui ad scopum contendit, *mens*,
 »Corpus quidem est basis, qua niti debet, ut agere
 »possit in res externas, conditio sine qua existentiam
 »suam terrestrem patefacere nequit; ideo non fit ani-
 »mus humanus, nisi quum corpus pervenerit ad quam-
 »dam maturitatem, et disparet, quando illius sys-
 »tema dissolvitur, et organa non amplius munere suo
 »funguntur. Non vero ejusdem est essentiae, suis
 »legibus obsequitur, secundum quas saepe cum cor-
 »pore consentiens, saepe pugnans, aut aequilibrium

»servat, aut corpori imperat, aut ipsius imperio obtem-
 »perat. Sic aliam legem in corpore, aliam in animo
 »agnoscimus, in animo vero vitam nostram praestan-
 »tiorum et meliorem.” Nihil est, quod addam, nisi
 me sperare, fore ut lector benevolus propter egregium
 argumentum longitudinem loci citati excuset.

p. 189. C. *Ὀὐκ ἂν, οἶμαι, σοι δοκῶ τοῦ ἀληθῶς ψευ-
 δους ἀντιλαβέσθαι.* Hic etiam ego credo Sophistas
 rideri; nam in Theaeteti verbis proprie nihil vitio-
 sum erat: ὡς ἀληθῶς enim non denotat, veram esse
 falsam opinionem, sed, verum esse iudicium, quo talis
 opinio falsa diceretur, ut in praecedentibus dicitur
δικαίως ἂν καλοῖτο ψευδῆ δοξάζων.

p. 196. B. *καὶ τοῦτω αὐτῶ ἠναγκάζομεν μὴ εἶναι
 ψευδῆ δόξαν.* Non assentior Schleiermacheri legere
 iubenti *ἐν τοῦτω κ. τ. λ.* vocabulis *τοῦτω αὐτῶ* enim
 significatur argumentum, quo evicerant *μὴ εἶναι ψευδῆ
 δόξαν.* Respici enim hic verisimile est ad p. 188. C.
*Πῶς οὖν ἂν τις ἔτι ψευδῆ δοξάσειεν; ἐκτός γὰρ τοῦτων
 ἀδύνατόν ποῦ δοξάζειν, ἐπέπερ πάντ' ἢ ἴσμεν ἢ οὐκ
 ἴσμεν, ἐν δὲ τοῦτοις οὐδαμοῦ φαίνεται δυνατόν ψευδῆ
 δοξάσαι.*

p. 197. E. *καθεῖρξῃ.* Dubitavi num inserendum
 esset *τις*, quoniam ut nunc legitur nimis vaga vide-
 batur dicendi ratio. Attamen grammatici annotant
 hoc pronomen interdum omitti apud adjectiva et par-
 ticipia. Cf. Matth. gr. gr. § 487. 7).

p. 202. D. *τίς γὰρ ἂν καὶ ἔτι ἐπιστήμη εἴη χωρὶς
 λόγου τε καὶ ὀρθῆς δόξης.* Haec verba confirmant
 sententiam in analysi argumentationis expressam: λό-

γος enim et ὀρθὴ δόξα hic proponuntur ut omnino necessaria ad scientiam, etiamsi ad eam efficiendam non sufficient.

Observatio I.

Cl. Ast. in libro, qui dicitur, Plato's Leben und Schriften, habet haec. »Exinde, quod dicat Theaetetus, se jam audivisse, Socratem se ipsum filium Phaenaretæ dicere (149. A.) praeterea ex verbis »ἀκούων τὰς παρὰ σοῦ ἀποφερομένας ἐρωτήσεις, colligi potest, Platonem hic respicere effata aut dicta aliorum »Socraticorum." Quid his locis probari possit, fateor, me non intelligere. Scimus, quantopere delectarentur rumoribus et fama Athenienses, οὐ εἰς οὐδὲν ἕτερον ἐνκαίρου, ἢ λέγειν τι καὶ ἀκούειν καινότερον. (Act. Apost. XVII. 21). Praeterea notum est, quantopere in publico versarentur omnes. Quae igitur in locis ab Astio citatis dicuntur facillimè rumore ad Theaetetum pervenire potuissent. Attamen labefactatis argumentis non continuo corrui thesis. Alia fortasse etque firmiora afferi possunt argumenta. Thesis certe Astii aliis Theaeteti locis confirmari videtur: sic legitur p. 197. A. Ἀκήμοας οὐδὲν ὁ πῦν λέγουσι τὸ ἐπίστασθαι; p. 197. B. Ἐπιστήμης που ἔξιν φαίνε αὐτό

ἔναι. p. 198. C. ἀκούεις γάρ που τὰς τοιαύτας ἀμφισβητήσεις. p. 201. C. Ὁ γε ἐγώ, ὦ Σώκρατες, εἰκότος του ἀκούσας ἐπιλελήσμην, νῦν δ' ἐννοῶ. ἔφη δὲ τὴν μὲν κ.τ.λ. p. 201. D. ἐγὼ γὰρ αὖ ἐδόκουν ἀκοῦειν τιῶν. Loca a me citata omnia in secunda parte dialogi inveniuntur, ubi, si ad ullos respicitur, nec haec pertinent ad dramaticam rationem, certe de Socraticis cogitandum, tum, quia non nominatim carpuntur, tum quia sententiae eorum ut nuper pronuntiatæ memorantur.

Observatio II.

De *μαιευτικῇ* Socratis tam multum disputatum est, ut initio mihi omnino supervacaneum videretur aliquid de hoc argumento in medium proferre. Postea tamen vidi, Theaetetum illustrius hujus artis specimen praeberere, quam ut omnino omittere possim. Paucis igitur absolvam. Vulgo maxime in eo ponitur, ut Socratem statuunt, ingenia interrogando elicere, erroribus purgare, veri amore imbuere, ad praeclara quaeque impellere. Haec omnia vera esse nemo dubitabit, satis enim constant. De disserendi vero ratione hic quaedam apponenda. De Socratis methodo haec Xenophon. Mem. IV. 6. 15. Ὅπότῃ δὲ αὐτός

*τι τῷ λόγῳ διεξίσι, διὰ τῶν μάλιστα ὁμολογουμένων
 ἐπορεύετο, νομίζων ταύτην τὴν ἀσφάλειαν εἶναι λόγου.*
 Haec verba egregie methodum Socraticam illustrare
 mihi videntur. Est processus; quaeque momenta sub-
 jicit auditorum judicio, imo quatenus fieri potest, ut ab
 ipsis auditoribus proferantur, interrogando efficit, ut
 quae discant sic sibi assimilent, ut ipsorum inventa esse
 videantur. Quae hoc modo a discipulo penitus per-
 cepta et toto animo accepta sunt fundamentum con-
 stituunt sequentium. Vidimus exemplo in dialogo
 nostro proposito quomodo vir praeclarus se demit-
 teret ad ingenium discipulorum, imo amici non ma-
 gistri ratione cum illis colloqueretur. Hoc modo
 eorum sibi conciliabat amorem, studia incendebat,
 philosophiam ipsis caram reddebat. Optime igitur
 sic methodus docendi Socratica verbis exprimi posse
 videtur, ut condescendentia (sit venia verbo) et aptus
 cogitationum nexus paullatim progrediens ejus cha-
 racterem constituere statuatur.

